

- nedicitur. De secūda intelligitur id, quod
 Psal. 33. ait psalmographus: Benedicam dominū
 in omni tempore, semper laus eius in ore
 meo. Hoc est laudabo, & gratias agam.
 Luc. 1. Hac Simeon Deum benedixit capite se-
 cundo apud Lucam. De qua agitur hoc
 loco. Sed dices: Qui fieri potest, vt crea-
 turæ rationis expertes possint Deum lau-
 dibus efferre? Ad hanc dubitationem re-
 sponder in hunc modum diuus Hiero-
 nymus. Omnis creatura etsi non voce,
 opere tamen laudat Deum: quia ex creatu-
 ris consequenter creator intelligitur,
 & in singulis operibus, & effectibus ma-
 gnificentiæ Dei demonstratur. Hæc ille,
 & sapienter quidem, vt solet. Nam primo
 Sap. 1. capite libri Sapientię ita scriptum le-
 gimus: Hoc quod continet omnia,
 scientiam habet vocis. Hoc est, hæc
 mundi machina quæ omnia visibilia cō-
 tinet & coeret, scit suo modo Deum lau-
 dibus efferre. Et capite decimotertio:
 Vani sunt omnes homines, in quibus non
 tubest scientia Dei, & de his quæ viden-
 tur bona, nō poterunt intelligere eum,
 qui est, nec operibus attendentes agno-
 uerunt, quis esset artifex. Et paulo post.
 A magnitudine speciei, & creaturæ co-
 gnoscibiliter poterit creator horum videri.
 Ideo Esaias capite quinto. Væ, inquit,
 qui opus Dei non respicitis, & opera ma-
 nuum eius non consideratis. Id indicat
 aperte diuus Paulus capite primo ad Ro-
 manos his verbis: Inuisibilia Dei à crea-
 tura mundi per ea quæ facta sunt, in telle-
 cta conspiciuntur. Dei bonitatem, sapien-
 tiam, potentiam, & similia inuisibilia vo-
 cat, quæ ex operibus eius intellecta cer-
 nuntur, à creatura mundi, idest, à mundi
 creatione, ex quo mundus fuit conditus.
 Vel per creaturam mundi hominem in-
 telligit. Vt enim litera Latina, ita Græca
 ad virtutis referri potest: ita enim habet
 αὐτὸ τὸ θεοῦ χάριτας. Deus qui inuisibilis est
 nostris oculis corporeis, iuxta id quod ait
 capite primo Ioannes: Deum nemo vi-
 dit vnquam. Et Paulus primo prioris ad
 Ioan. 1. Timotheum: Regi seculorum immor-
 tali, inuisibili, soli Deo honor & gloria:
 conspiciuntur tamen intelligentia, relucens
 ac resurgens tanquam in speculo in hoc
 mundo mirabiliter condito, & admini-
 strato. Scala quā in somniis vidit Iacob, Gen. 11.
 est mundi machina, eius celsus vertex
 est cœlū, vbi præcipuo quodam modo
 est Deus, eius gradus sunt creaturæ, qui-
 bus contemplatione, & intelligentia ad
 ipsum ascendimus. Ea est rerum natura-
 lium pulchritudo, tam insignis ordo, tā
 conspicienda collocatio, vt nemo sit tam
 agrestis & incultus, qui earum præstan-
 tiam, & huius vniuersitatis machinam
 contemplan non possit ad notitiam Dei
 cogitatione perducere. Quid potest esse tā
 apertum & perspicuum, cum sidera clari-
 ssima viderimus, cum solem cæterorum
 luminum facile principē omnia suo splē-
 dore illustrantem, globosque ipsos cœle-
 stes admirabili conuersione & celeritate
 concitatos, & fulgentibus astris ornatos
 & distinctos suspexerimus, quā esse di-
 uinum quoddam numen præstanti intel-
 ligentiæ acumine, immensaque bonitate
 & potentia præditum, à quo hæc fuerint
 condita, & à quo sustententur, & regan-
 tur. Id intuens animo Dauid Psalmo de
 cimo octauo has voces emisit: Cœli enar-
 rāt gloriam Dei, & opera manuum eius
 annuntiat firmamentum. Nec solum cœ-
 li, sed dierum ac noctium vicissitudines,
 ac certus ordo, & perpetua cōstantia in-
 dicant esse vnum Deum harum rerum
 conferuatorem & moderatorem præsta-
 tissimum. Id voluit idem diuinus vates
 his verbis quæ statim adiecit, ostendere:
 Dies diei eructat verbum, & nox nocti
 indicat scientiam. Ac si diceret: Dies
 succedentes diebus loquuntur nobis scien-
 tiam Dei, similiter & noctes: ipsorum al-
 terna accretio & diminutio, mirandaq;
 continuatio, & seriei perpetuitas, & im-
 mutabilis firmitas testantur tam admi-
 rabiliū operum laudem non esse teme-
 ritati, sed summo Deo tribuendum, qui
 hæc ab initio constituit, & perpetuis se-
 culorum ætatibus conferuauit. Deinde si
 te ad terram conuerteris, videbis eam
 herbis viridibus, odoriferis, & amoenis
 indutam, quarum vtilitates vsus & peri-
 culatione percipimus. Diffundit enim
 com-